

^{D. D.}
**PLANTÆ
RARIORES
AFRICANÆ,**

QUAS
CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MED.
IN REG. ACADEM. UPSALIENSI.

PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO ATQUE EXPERIEN-
TISSIMO.

**Dn. Doct. CAROLO
LINNÆO**

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI
S:RÆ REG. M:TIS ARCHIATRO.

Med. et Botan. PROFESSORE REG. ET ORD.
ACAD. UPSAL. HOLM. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.
LONDIN. PARIS. MONSPEL. TOLOS. FORENT.
SOCIO.

PUBLICO EXAMINI SUBMITIT

JACOB PRINTZ

DALEKARLUS.

IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE DECEMB.
ANNI MDCCCLX.

H. A. M. S.

 HOLMIÆ,

Literis Direct. LAURENTII SALVII.

Viro Spectatissimo
**D: NO J A C O B O
 PRINTZ**

Ad Regiam Officinam Monetariam Avesta-
 diensem


Camerario Integerrimo.

PARENTI OPTIMO INDULGENTISSMO.

Tenuem hanc opellam, Plantas in Africa
 rariores illustrantem, Tibi, Pater Ca-
 rissime, omni, qua filium decet, veneratio-
 ne offero; cum piis ad Deum præcibus, pro-
 perenni Tua Matrisque dilectissimæ felicitate:
 ad extremum vitæ halitum permanfurus.

OPTIMI PARENTIS.

Filius obedientissimus
JACOB PRINTZ.



d ulti^mum sui angulum, ubi orbis se terminare quasi, nec ulterius progredi videtur, naturae miracula adeo concentras^e putabitur Africa monstrifera, ut vegetabilia magis prodigiosa in hortos suos Botanicos e nulla Telluris parte potuerint introducere curiosi, quam ab ultimo Bonae spei Promontorio. Plantae hujus terrae nescio, quam ob causam, difficulter admodum per transmissa semina in nostris propagantur hortis botanicis; unde factum est, ut tam raro conspiciantur, nisi in hortis Hollandicis, seu in illa natione, quae Capitis bonae spei domina, vivas inde plantas transportandi pollet potestate, aliis non facile concedenda. In hortis vero Europaeis cultae tempore Brumali, intra hybernacula, quam maxime florent, atque ideo fructum ad maturitatem non perducunt, sive non adeo facile ex Hollandia in ceteras Europae regiones disperguntur.

Atque haec est ratio, cur plantae Capenses diutissime fuerint obscurae Botanicis, utpote qui ex arefactis specimenibus eas non nisi aegre ad genera reducere potuerunt, quibus tamen scientia nostro aeo feliciter est superstructa Botanica.

COLLECTA quidem haec sunt vegetabilia ab Heurnio,

Himanno, *Oldenlando*, *Brunio*, *Hartogio*, ut alios taceam, quorum tamen descriptiones non prodierunt, praeter earum, quæ Hollandorum illata hortis indigenæ illustraverunt Botanici. Habuit sane magnam horum copiam maximus *Sherbard*, eamque laboriosissimo obtulit *Rajo*, tertio Historiæ ejus plantarum tomo describendam, sed quia ad certa & stabilita genera-nomina adsurrexerat hæc scientia, solidi quidquam vix inde colligitur, iconibus præsertim non adjectis; FIGURAS autem vegetabilium Capensium vix habemus praeter eas, quæ *Breynio*, *Hermannio*, *Petiverio*, *Cominelino*, *Volkamerio*, *Dillenio* & *Burmanno* debemus.

Ceterum plantæ capenses huc usque Botanicis dilucide cognitæ in *Flora Capensi* ad 520 circiter species distinctas nuper sunt expositæ: sed 200 species adhuc forte facili colligi possent negotio, si quis ad hanc terram daretur aditus.

Hæc Regio rapidissimis exposita ventis & procellis, tot producit plantas FRUTICOSAS & alpinis textura similes, ut vix hujus generis tanta ullo alio in loco inveniatur copia, quæque maxime in nostris desiderari solet hortis. Plantæ ex his oris tantum SUCCULENTÆ, ut *Mesembryanthema*, *Crassulæ*, *Cotyledones*, *Aloes*, *Antherica*, *Tetragoniae*, *Aizoa*, *Calcearia*, *Stapeliae*, *Euphorbiae*, *Gerania*, &c. huc usque præcipuum Hybernaculis nostris dederunt ornamentum; utpote quæ per cauliculos facilius transportari & propagari queunt. Scilicet succulentæ hæc, structura sua admiranda & insolita, spectatorum ita in se pertraxerunt oculos & admirationem, ut his in hybernaculo quopiam non visis, quod præcipuum est ibi desiderari sibi videantur Curiosi. Nuper vero, intra paucos annos ex hac mundi plaga novam quasi coloniam plantarum BULBOSARUM introducta est, quæ floribus elegantissimis hortos curiosorum quasi animavit, ut pote *Gladiolis*, *Antholyzis*, *Ixiis*, *Wachendorfias*, *Hæmanthis*, *Ornitogalis*, *Hyacinthis*, *Autbericis*, *Scillis*, *Cyanellis* &c. quæ bulbis

bulbis suis a patria sua facile transportandis, novis bulbis per Europam distribui potuerunt.

VARIETATIBUS plantæ Capenses præ ceteris in solo natali ita superbunt, ut omnem in illis examinandis adhibere attentionem solertissimus etjam debeat Botanicus, ne in errorem incidat. Ut plures taceam, nominare sufficiat *Othonnam bulbosam*, quæ ordinarie caulem habet herbaceum & folia ovata integrerrima, sed eadem heic reperitur (β) foliis lanceolatis integrerrimis; (γ) foliis lanceolatis dentatis; (δ) foliis lanceolatis angustissimis (ϵ) foliis sublanceolatis tridentatis (ζ) foliis radicalibus pinnatis; (η) fruticosa & ramosa foliis alternis lanceolatis dentatis; (δ) fruticosa & ramosa apicibus ramorum foliis lanceolatis subsessilibus. Quidam etiam Genera copiosa, huic terræ propriæ, suis saepe speciebus tam arcte inter se coœunt, ut oculatissimo etjam, ne erret, omni perspicacia sit opus, ut in Leucadendris, Ericis, Gnaphaliis, Mesembryanthemis, Geraniis, Aspalathis & quæ sunt plures.

Præterea hæc regio, quæ plures habet species plantarum, flore composito, in illis etiam, maxime quæ flore sunt radiato, hoc habet peculiare & notabile, quod RADIUS in plerisque subtus fit fuso-ceruleus ut in *Calendulis*, *Arctidiibus*, *Osteospermis*, *Othonna rigida*, *Gorteriis*, *Arnizis* &c. quod heic æque est frequens, ac folia Triplinervia plantarum compositarum Americæ septentrionalis, quæ res facem præferet posteris ortum specierum investigaturis.

Quamvis vero plantæ Africanæ ab aliis omnibus tantopere abhorreat: EUROPEAS tamen magno numero tam indigenas, quam hortentes his intermixtas, in collectionibus plantarum capensium vidi, quod illis certe minus videtur mirum, qui perpendunt temperatum hoc clima, India paritex ac Europea, facile admittere vegetabilia; unde factum est, ut plurima posteriori hoc avo jus quasi civitatis

tis ad C. B. S. obtinuerint, antea extranea, dum scilicet variæ plantæ culinares & coronariæ heic fuere consitæ vel etiam alio modo cum plantis Europeis allatae, ut:

<i>Circæa</i>	<i>lutetiana</i>	<i>Tribulus</i>	<i>terrestris</i>
<i>Veronica</i>	<i>serpyllifolia</i>	<i>Potentilla</i>	<i>norvegica</i>
<i>Verbena</i>	<i>haftata</i>	<i>Anemone</i>	<i>coronaria</i>
<i>Valleriana</i>	<i>officinalis</i>	<i>Ranunculus</i>	<i>acris</i>
			<i>repens</i>
<i>Scabiosa</i>	<i>transylvanica</i>	<i>Lathræa</i>	<i>Clandestina</i>
<i>Sherardia</i>	<i>arvensis</i>	<i>Antirrhinum</i>	<i>chalepense</i>
<i>Asperula</i>	<i>cerulea</i>	<i>Scrophularia</i>	<i>peregrina</i>
<i>Crucianella</i>	<i>spicata</i>	<i>Sida</i>	<i>spinosa</i>
<i>Scoparia</i>	<i>dulcis</i>	<i>Malva</i>	<i>verticillata</i>
<i>Myosotis</i>	<i>arvensis</i>	<i>Genista</i>	<i>junccea</i>
<i>Heliotropium</i>	<i>curassavicum</i>		<i>sagittalis</i>
<i>Campanula</i>	<i>Erinus</i>	<i>Ononis</i>	<i>fruticosa</i>
<i>Hyoscyamus</i>	<i>albus</i>	<i>Vicia</i>	<i>sativa</i>
<i>Nicotiana</i>	<i>fruticosa</i>	<i>Ervum</i>	<i>Ervilia</i>
<i>Sanicula</i>	<i>europaea</i>	<i>Lotus</i>	<i>hirsuta</i>
<i>Tordylium</i>	<i>maximum</i>		<i>cretica</i>
	<i>nodosum</i>		<i>angustissima</i>
<i>Coriandrum</i>	<i>sativum</i>	<i>Coronilla</i>	<i>coronata</i>
<i>Smyrnium</i>	<i>aureum</i>		<i>varia</i>
<i>Pimpinella</i>	<i>Anisum</i>		<i>Emerus</i>
<i>Fritillaria</i>	<i>Meleagris</i>	<i>Ornithopus</i>	<i>perpusillus</i>
<i>Epilobium</i>	<i>hirsutum</i>	<i>Medicago</i>	<i>polymorpha</i>
<i>Cassia</i>	<i>Chamæcrista</i>		<i>radiata</i>
<i>Ruta</i>	<i>graveolens</i>	<i>Tragopogon</i>	<i>picroides</i>
<i>Leontodon</i>	<i>autumnale</i>	<i>Anacyclus</i>	<i>creticus</i>
<i>Sonchus</i>	<i>oleraceus</i>	<i>Anthemis</i>	<i>altissima</i>
<i>Andryala</i>	<i>integrifolia</i>	<i>Achillea</i>	<i>Ptarmica</i>
	<i>lanata</i>	<i>Buphthalmum</i>	<i>aquaticum</i>
<i>Ageratum</i>	<i>conyzoides</i>		<i>maritimum</i>
<i>Artemisia</i>	<i>vulgaris</i>		<i>spinosum</i>
			Gna-

Gnaphalium *saxatile*
Erigeron *tuberosum*
Aster *tradescanti*
Chrysanthemum *creticum*

Helianthus *multiflorus*
Calendula *hortensis*
Poterium *sanguisorba*
Valantia *Cruciata*

Confammatissimus Botanicus JOHANNES BURMANNUS, hodie Profesor Botanices Amstelodamensis, qui per plantas Zeylanicas, Africanas, Amboinenses & Americanas immortalem sibi nominis gloriam apud posteros quamdiu plantæ virent, comparavit; Vir hic amplissimus Capensium plantarum in orbe Botanico perfectissimam possidet collectionem; hanc non Hermanni tantum & Oldenlandi Herbarium Capense tenet, sed etiam per amicos & Gubernatores Capitis Bonæ Spei, omnes, quæ conquiri in illis terris unquam possint, plantas sibi comparandi occasionem habuit optimam. Dignissimus tanto Patre filius. Doct. NICOLAUS LAURENTIUS BURMANNUS, egregio de Geraniis opere clarus, paternisque adeo masculine in Botanicis insistens vestigiis, maximum utique subsecuturis diebus promittens incrementum scientia Botanicæ, attulerat, quando æstivo hujus anni tempore boreales has salutabat terras, vastissimam Patris collectionem plantarum Capensium, quæ omnia hæc rarissimæ vegetabilia, tam paucis visa, paucioribus vero explorata, considerandi nobis ansam præbuit. Data occasione videndi has rarissimas plantas, non potui non fugitivis oculis & calamo aliquot flosculos notare, quos heic in memoriam optimi Burmanni sisto; Si vero quid nostræ præces apud nobilissimos aurei thesauri capensium possessores valeant, rogamus per sacra Floræ, ne graventur rarissimas suas plantas Capenses iconibus & commentariis illustrare, eadem plane methodo, qua plures antea capenses eorum studio æternitati consecratæ sunt, quo tandem remotissima Flora capensis rite innotescat Botanicis.

*Pediculariæ*1. *HEMIMERIS bona spei*

Veronica africana, floribus ad genicula pedicellis biuncialibus.
Herm. astr. 783 Plak. phyt. 320 f. 5.

Herba statura *Pedicularis*, *Caulis*, pedales, prostrati, lœves.
Folia inferna ternata (superiora ad flores sœpe alterna), petiolata,
lanceolata, obtusa, pinnatifida. *Flores* axillares, alterni: *Pe-*
dunculo longo, unifloro; purpurei lineis albentibus. *Fructifi-*
catio proœima *Veronicæ*, sed *Calyx* 5-partitus.

2. *GLADIGOLUS alatus* foliis ensiformibus, petalis lateralibus
latissimis.

Sisyrinchium viperarum Plak. phyt. 124: f. 6.

Bulbus. *Caulis* spithameus, crassiusculus, inter flores flexuosus.
Folia ensiformia, striata, lœvia, obtusiuscula: floralibus brevio-
ribus distice digestis. *Corollæ* Galea falcata, angusta. Alæ
ejusdem longitudinis, rhombæ, latissimæ. *Labium* inferius
tripartitum: foliis ovatis, æqualis longitudinis.

3. *LEUCADENDRON hirtum* foliis lanceolatis apice callosis,
caule hirsuto, floribus sparsis axillaribus.

Lepidocarpodendrum foliis sericeis brevibus confertissimis, fructu
gracili longo. Boerb. lugdb. 2. p. 194. f. 194.

Frutex. *Folia* breviter lanceolata, vix pubescentia, conferta, a-
pice callo simplici. *Calycæ* glabri: squamis acuminatis, so-
litarii, axillares foliorum, eorumque longitudine.

4. *SCABIOSA rigida* corollis quadrifidis subradiantibus: squa-
mis calycinis obtusis, foliis lanceolatis ferratis.

Scabiosa africana frutescens, foliis rigidis splendentibus & fer-
ratis, flore albidente. Comm. Lort. 1. p. 185. f. 93. Raj.
suppl. 237.

Simillima *Scab. leucanthemæ*. *Caulis* fruticosus, nudus. *Folia*
ferrata, nuda: inferiora obovata, in petiolis desinentia; reli-
qua lanceolata, sessilia. Ex aliis *Sipulae* quasi duæ lineares.
Flos longe pedunculatus. *Calyx* suqainis subrotundis. *Corollula*
quadrifidæ, extus tomentosæ: *Lacinia* extima paullo majore;
unde parum radiatus flos.

5. CHIRONIA *lasmoides* herbacea, foliis lanceolatis.

Caulis herbaceus, tetragonous, lœvis, altus. *Folia* lanceolata, opposita, sessilia, glabra, integerrima, articulis breviora, erecta. *Panicula* terminalis, dichotoma, erecta, pauciflora. *Bractæ* oppositæ, subulatae. *Calyx* quinque-partitus: foliolis lanceolatis, acuminatis, patentiusculis, longitudine tubi corollæ. *Corolla* magnitudine Tabaci, tubo cylindrico; Limbo quinque-partito, patente, longitudine tubi: Laciis ovatis, acuminatis. *Filamenta* quinque, filiformia, brevia, tubo insidentia. *Antheræ* oblongæ, apice dehiscentes. *Stigma* stylo insidens, capitatum. *Capsula* ovato-oblonga, mucronata, in 2 partes longitudinaliter dehiscens, stylo cohærens.

6. PHARNACEUM *cordifolium* foliis obcordatis.

Radix fibrosa. *Caules* herbacei, pedales, prostrati, lœves, articulati, geniculis nodosis: squamulis membranaceis, congestis. *Rami* alterni. *Folia* plurima, verticillata ad genicula caulis, obcordata, glabra, integerrima, articulis longe breviora. *Racemi* terminales, pedunculati, bipartiti. *Flores* albi, magnitudine Spergulæ arvensis.

7. DROSERA *cistiflora* caule folioso simplici, foliis lanceolatis.

Drosera foliis ad caulem oblongis alternis, flore ampla purpureo. Burm. Afric. 210. t. 75. f. 2.

Ros solis folio angusto, flore albo, caule folioso. Raj. suppl. 515.

Caules herbacei, simplices, pedales, pubescentes, *Folia* alterna, lanceolata, pilis glutinosis hispida. *Flores* terminales, 1. 2. f. 3, magni, pedunculati.

8. CRASSULA *Centauroides* caule herbaceo dichotomo, foliis cordatis sessilibus, pedunculis unifloris.

Sedroides africana annua centauroides, Herm. par. 169.

Caulis herbaceus, palmatis. *Folia* opposita, amplexicaulia, sessilia, lœvia. *Caulis* superne dichothome corymbosus; ex axillis flores pedunculati, ramis breviores. Similis *CRASSULÆ* dichotomæ, sed folia latiora, floresque minores.

CRASSULA *dichotoma* caule erecto dichotomo, foliis ovato-lanceolatis, pedunculis unifloris.

Sedum africanum annum, centaurii minoris folio, flore aureo.
Herm. lugd^b 550. t. 553. descr.

9. CRASSULA *strigosa* caule erecto, foliis oppositis obovatis strigosis, ramis dichotomis, pedunculis unifloris.
Radix annua. Caulis spithameus, herbaceus, subhispidus.
Folia opposita, obovata, obtusa, lineata, integerrima; inferiora saepe petiolata; *Rami* dichotomi. *Flores* dichotomi (ad apices ramorum plures), pedunculati, uniflori. *Calyces* strigosi. *Petala* ovata, longitudine calycis.

10. CRASSULA *muscosa* foliis oppositis imbricatis ovatis gibbis caulem obtectibus, floribus sessilibus.
Ficoides africana annua minima muscosa. Herm. par. 170.
Caulis filiformes, rarius ramosi, recti *Foliis* minimis, ovatis, oppositis, sessilibus, carnosis, obtusiusculis; in exsiccatis subfoliorum margine ordo punctorum. *Flores* ex alis solitariis, omnium minutissimi, longitudine foliorum.

11. AMARYLLIS *capensis* spatha uniflora remotissima, corolla æquali.
Sisyrrhinchium Corn. canad - - -
Bulbus reticulo obductus. *Folia* Narcissi, longitudine scapi.
Scapus infra medium vaginatus. *Spatha* perfistente, acuminata, plana. *Petala* lanceolata, basi interiora atra. *Staminam* filamenta brevissima. *Antheræ* erectæ, petalis dimidio breviores. *Germen* inferum. *Stylus* trigonus, longitudine antherarum. *Stigmata* tria.

12. MELANTHIUM *punctatum* petalis punctatis, foliis maculatis.
Caulis simplicissimus, palmaris. *Folia* lanceolata, amplexicaulia, perfoliata s. cucullata s. inferne vaginantia vagina superne dilatata; sunt hæc in caule 4, supremo & intimo minimo. *Racemus* terminalis. *Petala* ovalia, subunguiculata, punctata. *Stamina* receptaculo fere inserta. *Styli* tres.

13. SEPTAS *capensis*.

Sanicula aizoides serpyllifolia minor. Plak. mant. 166 t. 330 f. 9.
Radix

Radix perennis. **Folia** radicalia, quatuor, obtusa, nuda, crenata: duobus inferioribus oppositis, majoribus, sub-petiolatis, sub-rotundis; Duobus superioribus oppositis, ovalibus, sessilibus, angustioribus. **Scapus** filiformis, nudus, longitudine dorsi, terminatus **Umbella** simplici: pedunculis 7. 1. 8. filiformibus, unifloris, nudis. **Involucellum** minimum. **Ordine naturali** *Saxifragis & Sedis* accedit. **Calyx** 7 partitus. **Petala** 7. **Germina** 7. **Pistilla** 7.

14. ERICA *spumosa* antheris bifidis inclusis, calycibus trifloris inflatis inflexis, foliis ternis laevibus..

Erica africana, flore rubro pleno. *Seb. mus.* 2. p. 11. t. 9. f. 18. *mala*.

Fruticulus ramulis angustis. **Folia** terna, ovato-oblonga, triquetra, glabra, carina canaliculata. **Flores** terminales, nutantes, sessiles. **Calyses** globosi & singulari modo undati *Squamis* subrotundis, inflatis, apice carinatis & inflexis, purpurei, continentes *flosculos* tres, flavos, vix calyce longiores. **Stylus** longus.

15. ERICA *halicacaba* antheris bifidis inclusis, corollis maximis, foliis ternis linearibus laevibus.

Frutex altior: *Ramulis* purpurascenscentibus, minimis, albo-tomentosis. **Folia** terna, confertissima, laevia, margine scabra.

Pedunculi foliis breviores, subsolitarii. **Calyx** foliolis ovatis, carinatis, coloratis, corolla triplo brevioribus. **Corolla** ovata, pentagona, inflata, magnitudine & facie *Phygalidis viscosæ*, distinctissima magnitudine, qua omnibus longissime superat. **Stamina** profunde bifida, corolla longe breviora.

16. PASSERINA *capitata* foliis lanceolato-linearibus glabris, floribus capitatis: receptaculis incrassatis.

Thymeleæ foliis linearibus alternis, ex uno petiolo copioso. *Burm.* af. 133. t. 48. f. 3.

Caules fruticosi, compositi. **Rami** virgati, rubri. **Folia** alterna, erecta, linearia, acuminata, basi petiolari alba.

Pedunculi communes ex apice ramorum, turbinati, tomentosi. **Flores** plures, sessiles, albi, tomentosi.

17. ANTIRRHINUM *bicornne* foliis oppositis oblongis serratis, caule erecto, floribus racemosis, capsulis bicornibus.

Linaria foliis copiosis oblongis dentatis, capsula corniculata reflexa. *Burm. afr.* 211. t. 75. f. 3.

Caulis herbaceus, lœvis, sesquipedalis, tetragonus, brachiatus.

Folia opposita: inferiora ovato oblonga; superiora lanceolata, glabra, sessilia, profunde & remote ferrata. *Racemi* terminales. *Flores* cærulei, fauce iutea, calcari flore breviore. *Capsula* ovata, compressa, bifida lobis divaricatis.

18. **BUCHNERA Africana** foliis dentatis oppositis, calycibus subtomentosis fructu longioribus

Pedicularis æthiopica, ruteæ caninæ aspero & fragili folio. *Pluk. alm.* 283. t. 310 f. 2.

Simillima *Buckn.* asiaticæ; sed *Calyx* major, mollis nec scaber; quadrifidus. *Corolla* alba, statura Rhinanthi. Tota planta exsiccata nigra evadit.

19. **SELAGO Lychnidea** spica terminali, foliis lanceolatis subpetiolatis serratis obtusiusculis subtomentosis.

Lychnidea villosa, foliis oblongis dentatis, flor spicatis *Burm. afr.* 13 t. 49 f. 4.

Caulis simplex. *Folia* alterna, ex alis ramulosa. *Spica* longa floribus demum remotis. *Corolla* extus tomentosæ, colore tristinæ fragantes. *Stamina* didynama, in fauce ventricosiore tubi corollæ. *Style* capitatus.

20. **SELAGO rapunculoides** spicis corymbosis, foliis omnibus dentatis.

Rapunculus, foliis angustissimis dentatis, floribus umbellatis. *Burm. afr.* 13 t. 42. f. 1.

Corolla tubus filiformis; limbis quinquefidus: Lacinio superiore majore; duabus vero insimis minoribus. *Stigma* crassiusculum, bifidum. *Calyx* quadrifidus, subulatus.

21. **SELAGO cocinea** spicis corymbosis, foliis inferioribus linearibus integerrimis; superioribus lanceolatis subdentatis.

Simillima *Selag. rapunculoidi*, sed *Folia* crassiora, glabra, inferiora minime dentata. *Caulis* e radice plures, pedales, simplicissimi. Tota planta exsiccata atra evadit. *Flores* saturatissime purpurei; extima *corollæ* lacinia majore.

22. SELAGO *tomentosa* foliis obovatis crenatis, caule prostrato, racemis ramosis.

Pluk. phyt. 319. f. 2.

Herba tota tomentosa. Folia obovata, crenata, obtusa, tomentosa, opposita. Racemus terminalis e racemulis alternis, alterne subramosis. Flores angusti, colore trifli. Stamina in fauce ventricosiore tubi, didynami. Stylus capitatus.

23. GHEIRANTHUS *africanus* foliis lanceolatis integerrimis subhirudinis acutis, siliquis compressis, caule herbaceo.

*Helioscilia
integrofolia.*

*Leucojum africanum, cæruleo flore, latifolium. Herm. lugdg.
364. t. 365.*

Caulis herbaceus, adspersus pilis rarioribus. Siliquæ compressæ, læves, terminatæ mucrone longiusculo.

24. HERMANNIA *trifurca* foliis lanceolatis integris tridentatis. *Altheæa africana frutescens. Volk. norib. 24 t. 24. 2.*

Frutex. Folia. incana, vix tomentosa, duriuscula, lanceolata; at inferiora obtusa, tricuspidata. Flores in racemo terminali, alterni, dependentes, subsolitarii. Petala cærulea, minus cucullata.

*Affinis maxime Herm. *alnifolia*. Figura Volkameri ad plantam cultam facta, nostra descriptio a planta in loco natali lecta.*

25. HERMANNIA *triphylla* foliis ternatis petiolatis.

*Caulis herbaceus in ipso specimine. Sipulae parvæ. Folia ternata, plana, obovata. Petala longitudine foliorum. Pedunculi ad huc longiores, quinquefiori cum bracteis. Tota planta pilis raris adspersa. Diversa ab H. *trifoliata*.*

26. GERANIUM *incanum* pedunculis bifloris, calycibus aristatis, petalis integris, pericarpis hirsutis, foliis subdigitatis.

Geranium pedunculis bifloris, foliis multipartitis: laciniis linearibus. Roy. lugdb. 331. e. 11. Burm. Geran. 26. t. 26.

*Geranium africanum tenuifolium robertiani divisuris Pluk. phyt.
186. f. 4*

Folia Potentillæ argenteæ; alia ultra medium 5-fida pennatifida; alia digitata: pinnis linearibus pinnatifidis. Stipulae trifidae.

27. SPARTIUM *saparium* foliis superioribus sparsis filiformibus. *B 3* Genista

Genista africana, pinastri foliis, floribus spicatis luteis. *Raj.*
dendr. 105.

Genista foliis genistæ hispanicæ: superioribus juncis. *Herm. afr.* II,
Rami & foliis deciduis scabri. *Folia* filiformia, digitali longitu-
dine, confertissima & fere verticillatim nata. *Racemi* termi-
nales. *Flores* lutei.

28. *SPATIUM capense* ramis lateraribus alternis, foliis alternis
lanceolatis.

Genista foliis genistæ tinctoriæ majoribus. *Herm. afr.* 11.

Frutex Ramis lævibus, alternis. *Folia* genistæ tinctoriæ s. Lin-
ariæ confertiora. *Flores* aliquot ad summos ramulos foliosos.

29. *BORBONIA ericifolia* foliis sublinearibus acutis, subtus vil-
losis, capitulis terminalibus.

Genista Africana, ericæ folio, floribus parvis luteis, in capitula
congestis. *Raj. suppl.* 105.

Frutex parvus, subvillosus. *Folia* alterna, parva, ovato linearia,
enervia, supra glabra, subtus villosa, imagine revoluta. *Capitu-
la* terminalia, sessilia, *Floribus* parvis.

30. *ASPALATHUS capitata* foliis fasciculatis linearibus acutis,
floribus capitatis, bracteis nudis.

Convenit cum *A. chenopoda* foliis fasciculatis; subpilosis, caule
piloso; capitulo terminali. *Differt* ab eadem foliis magis in-
curvis acutis, at non pungentibus, Capitulisque nudis, nec hirsutis.
Florum Carina arcuata, longitudine vexilli.

31. *ASPALATHUS quinquefolia* foliis quinis sessilibus, pedan-
culis spicatis.

Cytisus, angustis parvis acutioribus & incanis foliis, æthiopica, flo-
ribus fulva lanugine hirsutis. *Ptak. alm.* 128 t. 273. f. 4.

Frutex. *Folia* quina, sessilia: foliolis lanceolatis, petiolatis, sub-
pilosis, mucronatis; lateralibus paulo brevioribus. *Pedunculi*
foliis multoties longiores, racemoso-spicati. *Corolla* supra to-
mentosæ.

32. *ASPALATHUS pinnata* foliis pinnato-quinatis obcordatis,
pedunculis capitatis.

Frutex

Frutex affinis Aspalatho quinque folio. Folia petiolis brevissimis pinnata: foliolis quinque, approximatis, obcordatis, subpilosis, subtus tomentosis. Pedunculus foliis longior. Spica subrotunda. Corolla extus subtomentosa.

33. CYTISUS *psoraloides* spicis pubescentibus, ramis angulatis, foliolis laceolatis, caule sufruticoso.

Pluk. phyt. 320. f. 3.

Frutex pedalis: Ramis angulatis, saepe canescens. Stipulae subulatae. Folia ternata, petiolata: Foliola omnia sessilia, lanceolata, nudiuscula. Spicae pedunculatae, erectae, calycibus pubescentibus, floribus arte reflexis. Fructus nobis ignotus

34. PSORALEA *aphylla* foliis ovatis sessilibus adpressis acutis.

Genista spartium cæruleum Cap. b. spei Breyn. cent. t. 25.

Frutex totus non habet alia Folia quam Stipulas alternas, evatas, acutas, arte cauli adpressas. Flores cærulei, ad apices ramorum alterni, solitarii, brevissime pedunculati, gluma bivalvi ut in Psoralea aculeata.

35. PSORALFA *birta* foliis ternatis, floribus ternatis sessilibus.

Frutex ramis hirtis rigidis. Folia ternata, petiolata: Foliolis subpetiolatis, obovatis, subpubescentibus, mucrone reflexo. Flores terni, sessiles, in apicibus ramorum rigidorum, saepe tripli-ci in loco, violacei. Calyces hirsuti sculi.

36. PSORALEA *prostrata* foliis supradecompositis digitatis linearibus.

Planta a reliquis habitu recedens & singularis. Caules decumbentes, filiformes. Stipulae erectae. Folia digitata: intermedio trifido; partialibus pinnatis foliolis linearibus. Pedunculi axillares, racemo subrotundo. Flores lutei.

37. INDIGOFERA *trifoliata* foliis ternatis, racemis elongatis, leguminibus cernuis.

Caulis herbaceus. Folia alterna, remota, petiolata, ternata: foliola sessilia, æqualia, linear-lancolata. Stipulae subulatae. Racemi longi, flexiles. Flores violacei. Legumina Indigi. tinctoriae.

38. CROTALARIA *perforata* foliis petiolatis ovatis margine scabris.

Caulis

Caulis lœvis, Ramis alternis. Folia perfoliata, ovata, glabra, venosa, margine scabra s. denticulata, vix pollicaria. Flores parvi, ex summis alis, pedunculo biforo. Legumina compressa, glabra, non pedicellata, acuta.

39. CROTALARIA *amplexicaulis* foliis caulinis amplexicaulibus cordatis alternis, floribus oppositis reniformibus.

Genista perfoliata, orbiculatis foliis. Seb. mus. I. I. 24. f. 5.

Frutex glaber. Folia amplexicaulia, cordata, glabra. Rami floriferi dichotomi: foliis oppositis, reniformibus s. orbiculato-cordatis, sessilibus. Flores e dichotomia, solitarii, pedunculati, lutei.

40. CROTALARIA *imbricata* foliis simplicibus ovatis acutis villosis subsessilibus, floribus subsessilibus.

Frutex nodis a casu foliorum verrucosus. Folia conferta, sub-imbricata, subsessilia, simplicia, ovata, acuta, tomentosovillosa, sericea, parva, extipulata. Flores subsessiles, solitarii, purpurei.

41. ONONIS *capensis* racemis pedunculatis longis, foliis ternatis suborbiculatis.

Herba pubescens. Stipulae subcordatae. Petioli foliolis longiores. Folia ternata: foliolis petiolatis, apice mucronatis, suborbiculatis: intermidio longius petiolato; magisque retuso. Racemi axillares, solitarii, simplices, foliis duplo longiores. Floribus circa 6, alternis. Corolla flava, purpurascenti-violaceæ.

42. ONONIS *cernua* spicis sessilibus, leguminibus nutantibus pilosis linearibus.

Lotus africana annua hirsuta, floribus luteis. Comm. hort. 2. p. 163. t. 82.

Caulis diffusi, teretes, pilosi. Folia alterna, petiolata, pubescens: foliolis oblongis, obtusis, sessilibus. Spicae terminales, sessiles, floribus remotis luteis. Legumina longa, compressa, pilosa, nutantia, parum versus suturam dorsalem recurvata.

43. LUPINUS *integrifolius* calycibus alternis appendiculatis, foliis simplicibus oblongis villosis.

Caulis herbaceus, villosus. Folia alterna, petiolata, lanceolata.

to-ovata t. ovali-oblonga, integerrima, acuta, utrinque valde villosa. Racemi simplices, erecti, uti Calyces villoti; *Calyx* labium superius bifidum, integrum. *Corolla* cæruleæ.

- 44 DOLICHOS *capensis* caule volubili, pedunculis subbifloris, legum ellipticis compressis, foliis glabris.

Phaseolus africanus luteus, siliquis brevibus depresso. *Herm. afric.* 17.

